



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

VI. Quod ecclesiae vel personae grauari non debent.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

CAP. IV. *Idem Vigilensi episcopo.*

Cum sit Romana ecclesia, cui licet immeriti præside-
 mus, mater ecclesiarum omnium & magistra, cogimur ex
 debito suscepti honoris & regiminis, prout Dominus no-
 bis dedit, respondere consultationibus singulorum, vt
 dubiæ quæstiones, apostolicæ sedis prouidentia enoden-
 tur. Quæsiuisti autem frater episcopo, tuæ fraternitati re-
 scribi, vtrum pro ecclesiarum consecratione quidquam
 præter procuracionem moderatam habere debeas, cum
 Apostolus dicat, *Nemo cogitur suis stipendiis militare*,* ab ea-
 dem ecclesia exigere potes.

Episcopum
ab ecclesia
quam con-
secrat, pro-
curandum.

1. Cor. 9.

* desit
aliquid.

CAP. V. *Idem in Concilio Turonensi de eadem re.*

Cum autem collectas denariorum beati Petri per ar-
 chidiaconatus vestros feceritis, in collectione facienda ec-
 clesias vel parochias grauare nullatenus præsumatis aliter
 siue magis, quam prædecessores vestri tempore sanctæ re-
 cordationis Eugenii & Innocentii Romanorum pontifi-
 cum fecisse noscuntur. Quod si temeritate aliqua contem-
 peritis, id quod videmini habere, auferetur a vobis.

CAP. VI. *Idem eidem episcopo.*

Nihilo minus & præsentium auctoritate iniungimus,
 vt cum ecclesias ipsas visitaueritis, secundum quod Cano-
 nes præcipiunt, visitatoris officium exerceatis, nec eccle-
 sias visitatione vestra grauatis, vt magis intuitu informa-
 tionis & correctionis, quam affectu comestationis videamini
 visitare.

CAP. VII. *Idem.*

Peruenit ad audientiam nostram, & plurimum mira-
 mur, & aduersum vos de iure mouemur, quod in presby-
 teros qui sunt in iurisdictione vestra constituti, singulis an-
 nis quasi in seruos & mercenarios talliam faciatis: quibus,
 nisi ad voluntatem vestram pecuniam soluant, diurnum of-
 ficium interdicitis, & eos viliter & inhoneste tractatis, in
 tantum quod ipsos laicis despicabiles reddidistis. Ideo ve-
 ro hæc, si vera sunt, graui debent ultione puniri, cum eos-
 dem presbyteros quasi filios & fratres benigne ac sum-
 ma caritate fouere debeatis. Vnde vobis per A. S. &c. vt

- Dist. 94.
Dicitur.

Concil. Tom. 27.

Sff ij